



**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXI. Vtrùm usus probabilium contradictoriorum æquivalet
sententiæ Heracliti, qui dixit utramque simul partem contradictionis esse
veram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)


tamen in modo faciendi sit diversitas; nam alterum factum est undecumque bonum; integrè voluntarium; alterum verò pœnitudini subjacet, & est involuntarium secundùm quid, quia si veritas detegatur, victor tenebitur ad restitutionem, culpabitque priorem electionem ut invo-

luntariam, quia in errore fundatam. Atque hæc de bello dicta sufficiant, quia ostendunt, Celladeum in hac re triumphasse ante victoriam, & in omni apice, ad causam nostram spectante, causâ cecidisse.

QUÆSTIO VIGESIMA-PRIMA.

Virum usus probabilium contradictoriorum aquivaleat sententia Heracliti, qui dixit utramque simul partem contradictionis esse veram.

Quidam docuerunt cōtradictoria esse simul vera.

1.  **ELLADEUS** lib. 1. quæst. 16. primò ex Aristotele 4. *Metaphysicorum* proponit, Heraclitum olim dixisse, rem eandem simul esse & non esse, & consequenter, tam affirmantes, quàm negantes idem, verum dicere. Deinde assert sententiam Pythagoræ, seu potiùs cujusdam Protagoræ, qui arbitratus est, ipsam veritatem nos prorsùs latere, nec inveniri posse. Hinc definiunt illud omne esse verum, quòd unicuique videtur esse. Unde quoties contradictoria nobis videntur, illa sunt vera. Itaque utraque hæc sententia in eo convenit, quòd contradictoria simul sint, aut esse possint vera. Tum citat Academicos, qui affirmabant, nil potiùs verum esse quàm falsum, sed omnia per probabile & verisimile determinabant.

His præactis, Celladeus, omisiss in præsentem Academicis, contendit, eadem inconvenientia provenire ex usu licito contradictoriorum probabilium, quæ ex Heracliti ac Protagoræ opinionibus sequuntur. Verùm ad eò infelicitè atque præter omnem probabilitatem, ut quæstio mihi visa sit nulla confutatione indigere. Nihilominus, quia benignam sententiam sub mirabili prætextu impetit, atque Auctores, probabilium usum approbantes, indignissima comparatione traducit ac vilipendit, prætermittenda non est; tum ut Auctores dignissimos, nil tale merentes, ab injustissima comparatione & nota defendam, tum ut quòd benignæ sententiæ adversari videtur dissolvam. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus æhonestat Auctores gravissimos.

Equiparatio inter Auctores benignæ sententiæ & Philosophos antiquos proximè nominatos, atque inter horum & illorum doctrinas citatas, est in se absurdissima, & Auctoribus Catholicis pietatis ac sapientiæ laude clarissimis maximè injuriosa.

2. **P**ROBATUR, ac declaratur assertio. Antiqui illi Philosophi in primis negabant quidquam esse certum; ac proinde omnes absoluebant à conatu ac diligentia inquirendi ipsum verum ac certum, quia stultum esse dicebant la-

borare ac conari ad inveniendum, quod quis credit inveniri non posse. Deinde dicebant, hominem, ut benè operetur, non obligari ad determinandum intellectum ad unam partem contradictionis, sed sufficere, si citra assensum faciat, quod ipsi ita repræsentatur sub specie boni, ut allicere possit voluntatem. Ita expressè docebant Academici. Protagoras autem & Heraclitus, si consequenter ad sua principia loquantur, aliud ad rectè operandum non requirunt, nisi quòd res videatur & appareat bona, eo ipso enim habet, quod ipsi ad veritatem requirunt. Et quidem Protagoras nolebat nos judicare rem esse verè bonam (hoc enim erat judicare de subiecto secundùm illum non supponente & invenibili) sed solum habere meram apparentiam, seu apprehensionem boni. Tertio nullam sollicitudinem habebant, quæ & quanta esset ista apparentia, sed qualicumque contenti erant. Academici, modò voluntas moveri posset, intellectu nil affirmante; Heraclitus & Protagoras eo ipso veritatem admittebant, quòd res apprehensæ ullam veritatis speciem præ se ferrent; neque enim in suis principiis aliter discurrere poterant. Unde quartò demum, nemo istorum inter vincibilem & invincibilem veri apparentiam distinguebat, nec de ejusmodi diversitate sollicitus erat, ut patet.

3. E contra Doctores Catholici, benignæ sententiæ patroni, omnia istis contraria firmissimè tenent. In primis diserte asserunt, plurima esse certa, atque cum respectu ad solum certum omnia nostra studia & operationes instituendas esse tradunt. Omnium constans assertio est, quòd in rebus incertis nemo partem minùs tutam licitè sectari possit, nisi priùs veritatem diligenter investigaverit, feceritque quantum potuit & debuit, ut veritatem ipsam inveniret. Nec hæc diligentia contenti sunt, sed insuper addunt, hominem sectantem minùs tuta non aliter à peccato liberari posse, quàm si dictâ diligentia præmissâ per rationes directas vel reflexas determinaverit intellectum ad eam partem contradictionis credendam, quam in praxi sectatur, formetque conscientiam ac bonam fidem, quâ absolutè credat, objectum illud esse licitum. Neque hinc sistant hi Auctores, sed adhuc exigunt, ut fides illa bona, ac conscientia permittens non leviter, non

Errores intolerandi Antiquorum.

Opinio benigna per omnia Heracliti opinionem opponitur.

ASSERTIO II.

Equiparatio dicta, inter benignam sententiam & dictorum Philosophorum opiniones, aperta veritati repugnat, & nullo prorsus fundamento ianitur.

Equiparatio à Celladeo facta aperta veritati repugnat.

ex passione ac libidine, sed ex motivo certò gravi ac prudenti concipiatur, id est motivo certò probabili, seu absolute & comparative magno ac plerumque non fallenti. Adeo ut per omnia quàm maximè distent à sententia illorum philosophorum, illisquè in omnibus aperte contradicant.

4. Jam quod ad doctrinam dictorum Philosophorum attinet, illa est evidenter falsa, atque ut talis non solum à Catholicis omnibus, sed etiam ab Aristotele, aliisque melioris notæ Philosophis rejecta & explosa fuit. Sententia autem benigna non clanculum, non ab uno vel altero, sed ubique, ab innumeris, imò ab omnibus omnino Ecclesie Doctoribus per integrum sæculum propofita & approbata fuit, tamquam regula sufficiens ad conscientiam rectè formandam. Nec hoc illi per transennam dixerunt, aut rem levi manu percurrerunt, sed quæstionem à fundamento exactissimè discussurunt, innumerisque ac fortissimis rationibus, quas nemo hæctenus, nec Celladeus quidem toto suo conatu, elidere aut debilitare potuit, eam confirmarunt. Jam quæ comparatio absurdior esse potest, quàm impios atque absurdissimos Philosophos cum sanctissimis doctissimisque Doctoribus ob doctrinas tam dissimiles comparare, atque prætereundè non minora absurda ex benigna sententia sequi, si illa pro regula conscientie adhibeatur, quàm ex evidenter falsis Heracliti atque Protagoræ opinionibus sequantur, si homines illis pro vita & moribus regulandis utantur? Quò te vexit ardor disputandi Celladee, ut hoc diceret? non magis distat nox à die, quàm tenebrosa & evidenter falsa horum Philosophorum opinio à rationabili & solidè probata Catholicorum doctrina. Illa viam libertati aperit, ut quæcumque enormia, non solum absque scelere nota, sed etiam cum laude patrari possint. Hæc ita hominem ligat, ut nil absque scelere facere possit, de cuius honestate, post debitam diligentiam, iudicium prudens non habeat. Nil ergo vidisti in sententia benigna, quod comparationem istam mereatur, quæ proinde & absurda est, & Doctoribus præstantissimis injuriosa.

5. Quid diceret, Celladee, si ego, quod à me longissimè absit, dissertationes tuas stultissimæ Heracliti opinionioni compararem? Nónne viderer honesti terminos transgressus, si comparationem ingenioso & docto, qualis es, Theologo tam indignam instituerem? Nisi fallor id ægrè boni confuleres. Sed quid si idem de S. Thomæ, vel Scoti, omniumque, qui illos sequuntur, sententiis dicerem? Nemo certè non intolerandæ temeritatis me argueret. Tu tamen non unius, aut alterius Auctoris, ejusque asseclarum opinionem, non tantum Thomistarum aut Scotistarum, sed omnium omnino Auctorum unanimum sententiam hac comparatione deonestare, & quod plus est, pari inconvenientium sequela tamquam prorsus inevitabili explodere non es veritus. Certum tamen est, rationes tuas exigui ponderis ad tantam accusationem inchoandam, & nullius roboris esse ad eam evincendam, ut ex dicendis mox constabit.

6. **P**ROBATUR. Opiniones, quæ quoad asserta & illationes ex illis facile ac legitime deductas prorsus opponuntur, non nisi contra apertam veritatem æquiparari possunt, tamquam eorundem absurdorum origines. Atqui talis est benigna sententia & dictæ Philosophorum opinio. Ergo non nisi contra apertam veritatem dicta ratione æquiparantur. Major patet. Probatur minor. Et quidem quòd asserta utriusque opinionis prorsus opponantur, constat ex dictis in assertione prima. Quòd verò illationes ex illis facile ac legitime deductæ etiam contrariantur, non solum ex eo evincitur, quòd ex contrariis & repugnantibus assertis non nisi contraria & repugnantia legitime deduci soleant; sed ex ipsa præcipuarum illationum enumeratione. Ex Heracliti & Protagoræ opinionibus sequitur primò, nil esse magis honestum quàm turpe. Sequitur secundò, omnia esse bona & honesta, quæ vel videntur, vel creduntur esse talia. Sequitur tertio, hominem eo ipso rectè operari, si quòd agit non magis reputet verum quàm falsum. Unde qui in dubio operatur, tutus est à malo, modo absolute non existimet, illud quòd facit bonum esse vel malum. Hoc Academici expressè & per modum Thesis præcipuè tradebant. Sequitur quartò, operationes liberas ac maximè humanas, ex quibus beatitudo vel miseria post mortem dependet, non à iudiciis, sed ab apprehensionibus atque dubiis regi debere, nullamque sollicitudinem adhibendam pro veritatis indagatione, sed quamvis apparentiam sufficere. Nec alia similia desunt, quæ ex fatuis & explosis illorum Philosophorum opinionibus facile ac legitime deducuntur. At omnia directè opposita inferuntur ex benigna sententia. Illa enim docet, neminem excusari, si scietur partem minus tutam, nisi bonâ fide determinet intellectum per rationes certò prudentes & probabiles ad existimandum objectum illud esse licitum. Hinc autem evidenter sequitur, non omnia esse honesta, quæ talia videntur, aut etiam creduntur, quia nemo per errorem vincibilem excusatur. Deinde ex eadem sententia evidenter sequitur, aliqua esse mala, quæ nulla ratione honestari possunt. Talia sunt ea omnia, quorum turpitudine per se patet, aut honestas sufficienter probari non potest. Tertio aperte sequitur, omnem illum peccare, qui dubius de honestate sui operis aliquid agit. Demum secundum hanc sententiam, vita & actiones humanæ non apprehensionibus & dubiis, sed solis iudiciis, atque discursibus, id est perfectissimis intellectus operationibus ita regulantur, ut tamen non qualescumque iudicium aut discursus ad rectè operandum sufficiat, sed ille solum, qui post diligentem ac debitam veritatis indagationem motivo certò prudenti nititur, atque objecti honestatem bona ac prudenti fide voluntati representat. Ergo tam asserta quàm illationes benignæ sententiæ Heracliti ac Protagoræ assertis & illationibus per omnia contrariantur. Ergo contra apertam veritatem Celladeus comparationem prædictam instituit. Porro quòd

eadem comparatio omni fundamento careat, ex solutione objectionum seu rationum Celladei mox aperte constabit.

SOLVITUR PRIMA OBJECTIO,

Et agitur de justitia belli rationis.

Bellum rationis an possit esse utrumque justum?

7. **O**BJICIT primò. Ex opinione Heracliti & Protagoræ sequeretur bellum rationis esse utrumque justum, quia utraque pars contradictionis esset vera. Ergo contentio & contradictio rationis esset utrumque vera. Ergo justa & laudanda; quia utraque pars pro veritate pugnaret, quo nil honestius. Hoc idem sequitur admisso probabilium contradictorium usu, quia ex probabilibus liberum est alterutrum prudenter opinari, & judicare. Ergo erit juxta rectam rationem alterutrum opinari. Ergo & tueri, ac pro illo certamen inire. Et sicut in Philosophorum illorum opinione uterque contradicentium justè contendit, quia verum dicitur in casu nostro uterque contradicentium justè contendit, quia rectè & juxta rationem opinatur. Ergo rectè justèque contendit.

Sed è contrario sequitur, idem bellum esse utrumque injustum; quia rectè justèque dicenti non est resistendum, sed consentiendum, & dicendum, *rectè dicitur*. Ergo per contradictorium injustè impugnatur, quasi non benè justèque loqueretur. Ergo sicut in opinione Heracliti omnis contradictio est injusta ac bellum injustum, quia veritati non est contradicendum. Sic admisso usu probabilium, omnis contentio in probabilibus erit injusta. & bellum rationis utrumque injustum. Jam lumine naturæ constat, sequelas istas esse absurdas. Absurdum ergo est admittere usum probabilium esse licitum, ex quo istæ sequelæ inferuntur. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 16. §. 1.*

Celladeus arguit ex subjecto non supponente.

Respondeo, in sententia illorum Philosophorum, nullum prorsus bellum rationis esse posse. Ad bellum requiritur resistentia unius partis contra aliam; ubi enim nulla est resistentia, ibi nulla est aut contentio, nulla rixa aut bellum, sed pax & concordia summa. At in illorum opinione veritas unius partis secum patitur veritatem contradictoriè oppositæ, nec illam repellit, refellit, aut destruit. Nulla ergo species belli rationis in ea sententia inveniri potest. Itaque licet in hac hypothesi utrumque ex judiciis contradictoriis tenderet in veritatem, ideoque intellectus sic tendendo verè ac rectè judicaret; non tamen bellaret contra veritatem alterius judicii, nec illud excluderet, quia utrumque simul quietè confisteret. Itaque fundamentum hujus paritatis atque comparationis, à bello rationis desumptæ, procedit de subjecto non supponente, & si presè loquamur, ac hypothese strictè retineamus, nullum in ea rationis bellum haberi potest, sed summa concordia conservatur.

8. Verùm quamvis opinio illa sit prorsus facta, eò quòd asserat, contradictoria esse simul vera, quòd est evidenter impossibile, non tamen volo Celladeum, distæ inconsequentæ jam convictum, animis cadere; ego illi concedo totum quòd cupit, nempe bellum rationis in ea hypothese esse utrumque justum, & utrumque injustum, hæc enim contradictio æquo jure admitti potest, ac ulla alia. Imo quòd plus est, illi do (quòd tamen falsum est) sequelam hanc de bello rationis utrumque simul justò & injustò legitime

inferri ex stultissima illorum opinione, quia dato uno impossibili, necesse est innumera alia ex illo deduci. Quid inde? putatne, illationem illam meritis reprehendi posse, si antecedens concedatur esse verum? Nihil minus; nil enim absurdi in consequenti invenies, quòd in antecedenti non eluceat. Sed esto, consequens sit absurdum, & antecedente absurdius, modò sermo sit de bello rationis materialiter justò & injustò, nil inde contra doctrinam de licito probabilium usu deduci potest, quia illa non concedit duo contradictoria esse simul vera, cum tamen illationes istæ in alio non fundentur, nec ex alio inferri possint, quàm quòd duo contradictoria concedantur esse vera.

Dices, ex licito probabilium usu sequitur, bellum rationis utrumque fore justum, simul & injustum.

Respondeo inprimis, hoc non magis sequi ex eo, quòd usus probabilium dicitur licitus, quàm quòd dicitur illicitus. Ratio est evidens, quia bellum rationis a què viget inter probabiliter speculative, quæ praxi non deferunt, nec in praxim ullatenus reduci possunt, quàm inter probabiliter moralia & practica, quæ praxim dirigunt. Ergo sequela hæc incongruè objicitur contra benignam sententiam, tamquam absurdum singulariter ab ea dependens, quòd ipsam falsitatis singulariter evincat. Non ergo rationabiliter dixerit Celladeus, cur hæc singulariter contra benignam sententiam objecerit.

9. Atque hinc est, objectionem hanc ab ipso Celladeo in probabilibus saltem speculativis esse *Retorquetur argu- mentum.* solvendam. In illis enim utraque pars justè tenetur suam sententiam, quia neutra ex eo titulo justè reprehendi potest; quamdiu enim certitudo veritatis latet, qui probabili fundamento uni parti adheret, licet ac prudenter opinatur, & quòd plus est, justè operatur. Alioquin Celladeus de se ipso aliisque omnibus fateri debet, quòd in omnibus suis assertionibus tam Philosophicis quàm Theologicis à veritate aberrantibus, quæ haud dubie sunt quamplurimæ, illicitè ac imprudenter opinatus, & injustè operatus sit; quòd vix concedet, & si concesserit, sibi aliisque injurius erit, se enim aliosque in eo vituperabit, in quo magna laude digni sunt. Ecce quàm miserum argumentum, quòd ipsum arguentem premit, & si consequenter ad propria principia in argumento expressa procedat, prorsus opprimit, cum nos, in quos torquetur, non tangat.

10. Respondeo secundò, bellum rationis dupliciter esse posse justum; primò materialiter simul & formaliter, secundò solum formaliter. Bellum rationis dicitur materialiter simul & formaliter justum, quando intellectus sine errore pro veritate dimicat. Porro hoc bellum rationis eò justius est, quò certius est, quòd veritatem propugnet. Sic justius dimicamus contra hæreticos in punctis ab Ecclesia decisis, quàm contra Catholicos in rebus incertis & utrumque probabilibus, quia certi sumus, veritatem à nobis stare contra hæreticos; formidamus autem, ne veritas in rebus incertis & utrumque probabilibus adversariis faveat. Rursus bellum rationis dicitur solum formaliter justum, quando intellectus rationabiliter contra veritatem dimicat, putans se pro veritate dimicare; ideo autem bellum hoc rationis dicitur justum, quia qui pro veritate tantum apparenter contendit, jus habet ad talem litem & contentionem. Evidens enim est, unumquemque in rebus incertis, quamdiu veritas

tas latet, habere jus eam investigandi, ac pro ea, probabiliter aut certè probabilius apparente, strenuè dimicandi. Hoc jus, certum & liquidum, est unica causa formalis, quæ bellum rationis denominat formaliter justum. Hinc fit, ut bellum rationis materialiter injustum sæpe fit formaliter justius illo, quod materialiter simul & formaliter justum est. Hoc autem tunc contingit, quando falsa sunt probabiliora veris, quod certè sæpe numero evenit. His positis.

In probabili-
bus bellu
rationis sæ-
pe est for-
maliter ju-
stū utrim-
que.

11. Dico bellum rationis esse utrumque formaliter justum, quamdiu versatur in incertis, & utraque contradictionis pars est probabilis; idque locum habet tam in purè speculativis, quam in moralibus ac practicis. Ratio est, quia Auctores utriusque partis habent jus naturale ad veritatem omni conatu inquirendam, eamque, ubi certò inveniri non potest, probabiliter inventam seridè defendendam. Quod adeo perspicuum est, ut mirer quomodo Celladeum lauterit. Jam in hoc casu bellum ex una solùm parte est injustum materialiter, & ex altera tantum est injustum materialiter, quia una ex contradictoriis verum dicit, & altera falsum. Porro absurda, quæ ex Heracliti ac Protagoræ opinione sequuntur, in alio non fundantur, quàm quòd bellum utrumque sit simul materialiter justum & injustum; quia in hoc solo invenitur contradictio, & absurditas præterita. Itaque quoad formalem contrariam disputationum justitiam, admitto illam comitari licitum opinionum probabilitatem usum, sed nego eam in illo fundari; fundatur enim in natura intellectus, ac in innato sciendi desiderio. Hinc enim constat, unicuique jus esse, ad veritatem per media probabiliter indagandam, suamque opinionem, semel stabilitam, defendendam, quamdiu veritas latet, & propria opinio, certò probabilis, ipsi videtur rationabilior quàm opposita. Simile jus favet alteri, ratione cujus laudabiliter suas quoque partes defendit, atque omnes sibi adversantes impugnat, eosque ad suam sententiam trahere conatur. Nec puto quemquam inter mortales (nisi fortè Celladeus, quod tamen vix credo, aliter opinetur) hoc negare, aut in dubium revocare. Itaque hæc illatio in natura intellectus & veritatis probabiliter tantum apparentis fundatur. Ergo per accidens est, quod in moralibus ac physicis, in practicis aut speculativis locum habeat. Ergo hæc illatio imperitè obicitur contra licitum probabilitatem usum, tamquam propria illius soboles, cum in causa longè universaliiori fundamentum habeat.

Eplica.

At, inquit, si bellum hoc fit utrimque justum formaliter, erit etiam utrimque formaliter injustum, quia non solum verè, sed etiam rectè justèque dicenti non est resistendum, sed consentiendum, & dicendum, rectè dicit. At qui unam contradictionis partem sequitur, justè facit, & rectè opinatur. Ergo injustè facit, qui contradictorium promovet, quia rectè & justè opinanti resistit.

Retorque-
tur.

Respondeo. Ergo Celladeus injustè fecit, quoties aliorum sententias in Philosophicis ac Theologicis impugnavit; certum enim est eos omnes, aut plerisque justè ac rationabiliter suas sententias tenuisse, ac proposuisse. Ergo impugnavit justè ac rectè dicentes. Ergo injustum bellum movit.

Aliquando
justè dicen-
ti justè resi-
stunt.

12. Respondeo secundò directè, licitum esse non solum rectè, sed etiam vera loquentes impugnavit, quando veritas certò non constat, sed per probabiles tantum conjecturas cognosci po-

test. Verùm hinc iterum æquivocavit Celladeus; dupliciter enim justè loquenti resistere possumus: primò ostendendo illum non dicere verum, sed errare; ideoque conando contrariam persuasivem in mentem ejus & aliorum inducere. Secundò impediendo, ne ille seipsum defendat, aut rationes pro sua sententia afferat. Qui in probabilibus hoc secundo modo faceret, injustè bellaret, quia alterum jure suo privaret. At si illum non impediatur, sed solum coram rationis tribunali causam suam agat, ut victoriam reportet, non injustè agit, justè dicenti contradicendo; quia jus, quod facit alterum justè ac rectè dicere, solum postulat, ne impediatur rationes suas afferre, & ad judicium rationis provocare. Ergo dicta illius impugnare ut falsa nulli juri repugnat, quia per hoc non impugnantur tamquam non justè, sed injustè allata. Hæc omnia evidentissimè patent in exemplo litigantium coram iudice de suis juribus. Uterque putat jus sibi tantum favere, ideoque uterque justè litigat coram iudice. Nec quisquam dubitare potest, quin uterque justè agat; cum certum sit, utrumque habere jus afferendi suas rationes ut veras, & refellendi oppositas ut falsas. Itaque sicut neutra pars dicitur alteri justè facienti resistere, modò non impediatur quòd minus rationes suas liberè promat, quamvis eas ut insufficientes ac nullas refellere conetur, quia jura partium solum exigunt, ut liberum sit rationes judici proponere, non verò ut illæ omni conatu non refellantur. Ita pariter in casu nostro, utraque pars justè facit contendendo, suasque rationes proponendo, nec per hoc resistit justè facienti aut dicenti, quia non impedit rationes in contrarium afferri, ad quas afferendas utraque pars jus indubitatum habet, sed solum insurgit contra rationes jam allatas, ostendendo illas esse falsas, & insufficientes, ut sic intellectus tandem non illis, sed suis argumentis assensum præbeat.

SOLVITUR II. OBJECTIO,

Et agitur de litè intellectuali.

13. **O**BJECTIO secundò. In sententia Heracliti omnes lites essent interminabiles, quia nulla lis aliter terminatur, quàm ferendo sententiam pro una parte, alteram condemnando. At hoc licitè fieri nequit, si utraque contradictionis pars sit vera. Ergo in ea hypothesis omnes lites essent interminabiles. At eadem controversiarum interminabilitas sequitur ex licito probabilitatem usu. Nam nulla lis aliter terminari potest, quàm ostendendo alterutrum contententium non rectè dicere, & contrarium dicere debuisse. At hoc nequit fieri in probabilibus, magis quàm in sententia Heracliti; quia uterque contententium rectè dicit, sicut in sententia Heracliti uterque dicit verum. Ergo idem absurdum ex utraque sententia inevitabiliter sequitur. Et sanè experientia ipsa hanc disputationum interminabilitatem nimis patenter evincit. Jam scholæ per integras ætates de eisdem controversiis disputant, nec ea sunt adhuc magis terminata, quàm erant ab initio. Hoc fieri potuit ex vitio alterius partis, quæ sine fundamento sufficienti parti rationem habenti diu obstitit. At admissio probabilitatem usu, qualia sunt scholarum placita, omnis causa fit per se interminabilis & sempiterna. At sequela est contra lumen rationis, quia nemo movetur ad quidquam, quod apparet impossibile.

possibile. At omnes movemur ad disputandum. Ergo omnes lumine naturæ credimus victoriam esse possibilem, nosque posse adversarios malè dicitur convincere. Ita Celladeus *lib. 1. quæst. 16. §. 7.*

Argumentum procedit de subiecto non supponente.

Respondeo, argumentum ex parte hypothesis de opinione Heracliti procedere de subiecto non supponente; in illa enim opinione omnis lis terminata est, immo, ut antea dixi, nulla lis est possibilis, quia utraque pars est vera, nec veritas unius alterius veritati repugnat. Itaque de essentia litis est, ut supponatur utraque pars contradictionis simul vera esse non posse. Hoc supposito, fateor, litem alter terminari non posse, quam ferendo sententiam pro una parte, alteram condemnando. Hoc principio admissio, quamvis ex illo sequeretur, omnem litem in probabilibus esse interminabilem, nihilominus id licito probabilium usus perperam tribueretur, quia sive ille licitus sit, sive illicitus, eadem interminabilitas in quæstionibus merè speculativis reperitur. Eravit ergo Celladeus, dum hoc licito probabilium usus adscripsit tamquam absurdum ab illo singulariter dependens. Præterea in rebus speculativis utrimque probabilibus ipse tenetur idem argumentum solvere, quia eadem ratio & experientia probat, illas esse non minùs interminabiles, quam sint lites & disputaciones de rebus moralibus, & licito probabilium usus, ut patet.

Omnis lis intellectualis est terminabilis, maxime in moralibus.

14. Sed omissis istis inconsequentibus, respondeo, litem dupliciter terminari: primò apud iudicem finalem, à cuius sententia non datur appellatio: secundò apud iudicem non finalem, cuius sententiæ pars damnata non tenetur stare, sed ab ea appellare potest ad alium iudicem. Jam loquendo de prima litis terminatione, dico nullas de rebus probabilibus lites esse per se loquendo interminabiles. In primis multæ opiniones olim probabiles, post longam veritatis investigationem, jam improbabiles evaserunt, ideoque lis in illis jam terminata est. Jam hoc frequentius accidit in moralibus, quam in speculativis. Ergo tantum abest ut probabilitas in moralibus, aut licitus probabilium usus controversiarum terminabilitati repugnet, ut potius eam faciliat, quia singularem & longè majorem in rebus examinandis diligentiam requirit, quam in rebus purè speculativis. Ex hac autem majori diligentia factum videtur, ut lites frequentius in rebus moralibus, quam in speculativis terminentur. Porro, quod rarò eveniat lites istiusmodi finaliter terminari, non oritur ex ipsa notionem probabilitatis, aut per se connectitur cum ratione litis, sed desinitur ab ignorantia humana & difficultate eam superandi, ideoque solum per accidens connectitur cum natura litis, ac controversiæ intellectualis, ut patet. Sic ex litibus in foro externo agitatis, alias aliis diutius pendere cernimus, nec ideo censendæ sunt interminabiles, sed sperantur aliquando terminandæ. Nam si ob ignorantiam humanam, & rationes hinc inde æqualiter apparentes, contingat, litem aliquam esse per accidens interminabilem, id absurdum non est, quia non oritur per se ex rebus ipsis, sed per accidens ex humana ignorantia, ut patet. Et hæcenus quidem locutus sum de ultima terminatione litis per solam conspirationem iudicem inferiorum, absque sententia iudicis finalis seu Ecclesiæ. Hoc enim proprium est in dubiis moralibus, ut illa habeant iudicem finalem & inappellabilem, ut mox dicetur.

15. Cæterum loquendo de terminatione litium intellectualium per iudicem non finalem, lites intellectuales facilius & frequentius terminantur, quam lites in foro. Certè plerumque evenit in foro exteriori, ut lis ab uno iudice terminata in favorem unius partis, ab alio iudice in favorem partis adversæ dijudicetur. Unde lites rarò aut nunquam finaliter terminantur in foro illo, si pars condemnata ad alium iudicem provocare possit. Huic malo ut obviaretur, statutum est, ut aliquod iudicium sit ultimum, quo lis tandem dirimatur. Jam in rebus probabilibus ac controversiis scholasticis toties lis terminatur per iudicem non finalem, quoties intellectus, re perpena, absolute adhæret uni parti ut veræ, & alteram ut absolute falsam repellit. Itaque disensiones scholarum per integra sæcula litigantium frustra allegantur, quia jam à tot sæculis causæ illæ determinatæ fuerunt apud suos sectatores, à quot controversiæ illæ fuerunt agitatæ. Nec obstat determinationem causæ non esse talem, ut ab aliis iudicibus admittatur, nam illi pro parte opposita iudicium ferunt. Ratio autem est, quia nemo ex iudicibus istis constitutus est pro iudice ferente sententiam ultimò decisivam, sed unaquæque pars est sibi iudex, nec alteri subesse cogitur. Itaque utraque pars pro se fert suam sententiam, & causam apud suum tribunal terminat, licet altera pars non acquiescat, sed causam ad suum tribunal revocet, & oppositum per suam sententiam probet. Similiter hoc modo lis terminatur, quoties aliquis post rem consideratam mutat sententiam, quod sæpe evenit. Porro quod rarò feratur sententia decisiva, quæ omnibus satisfaciat, oritur ex ignorantia nostra, quæ veritatem certò detegere non potest, sed solum per probabiles rationes conjectare. Porro rationes illæ non æquè placent omnibus, sed aliquæ ab his, oppositæ ab aliis præferuntur, atque ideo lis apud omnes pro eadem parte non terminatur, sed ab his uni, ab illis alteri adjudicatur. Idem porro in iudicio fori exteriori eveniret, nisi per leges cautum esset, ut iudicium ultimum & inappellabile constitueretur. Hoc tamen iudicium, non est ultimum ex sua natura, quia sæpe est erroneum, & aliis iudicibus æquè doctis displicet, & pro falso habetur. Constituitur ergo ultimum per leges, à quibus jus confertur parti, in cuius favorem sententia pronunciat.

16. Jam Deus pro controversiis istis probabilibus ultimè componendis iudicem nullum constituit, cuius sit de omnibus & singulis istis sententiam ferre. Cæterum hac in parte moralia speculativa universaliter sumptis præstant, quia pro omnibus moralibus, Deus iudicem non solum inappellabilem, sed etiam infallibilem constituit; nempe Ecclesiam, cuius sententiæ omnes statim acquiescimus. Atque utinam Ecclesia de omnibus & singulis sub ejus tribunali contentis sententiam pronunciasset, ut sic in omnibus ipsam nudam veritatem sciremus. Verùm cum hoc factum non sit, nec possit commode fieri, necesse est, plures esse iudices in istiusmodi causis, atque ideo rarò sit, ut omnes in eandem sententiam trahantur, licet id absque Ecclesiæ decisione in pluribus casibus eveniret. Hæc si Celladeus cogitasset, nunquam circa hanc scholasticarum controversiarum diuturnitatem ac interminabilitatem frustra in apertis æquivocationibus tempus trivisset.

17. Ex his patet responsio ad singulas propositiones objectionis. In primis lis in probabilibus termi-

Lites intellectuales facilius terminantur per iudicem non finalem, quia lites fori exteriori.

Pro moralibus datur iudex inappellabilis, & infallibilis.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

Judex litem terminans non delectat Auctores partis contrariae non recte dixisse.

terminatur, quando quaestio per absolutum iudicium de veritate unius partis solvitur. Jam quod Celladeus dicit, litem non terminari, nisi ostendendo partem alteratram non recte dicere, sed debuisse dicere contrarium non est verum, nisi recte idem significet ac verè. Si enim recte dicere significet prudenter ac justè iudicium elicuisse, falsum est litem non posse terminari à iudice, nisi ille asserat, iudicem contraria determinatam non recte dicere. Certè in foro externo iudex ultimus solum probabiliter declarat, priores iudices non attigisse veritatem. sed non negat eos recte suo munere functos, si recte non idem significet, ac verè, quia scit iudicem priorem non temerè, sed prudenter iudicasse, & juxta obligationem sui officii sententiam tulisse, eundemque ac alios fortasse correctores hanc ipsius sententiam, si illa ad eorum tribunal iterum revocetur. Ergo à fortiori lis Scholastica terminari potest, imo solet terminari per hoc, quod pars opposita declaratur falsa, quamvis ejus patroni nec imprudentiæ nec injustitiæ damnentur, immo quamvis declarentur probabiliter ac prudenter iudicasse, suumque munus implevisse supponantur.

Idem ultorius declarat.

18. Hoc posito, nil refert, quòd sicut Heraclitus dixit, iudicium utriusque partis esse verum, sic nos dicamus, iudicium utriusque partis esse rectum, modò iudicia illa in diversis intellectibus ponantur; ille enim evidenter erravit, quia idem prorsus de eodem secundum idem affirmabat, & negabat. At nos in hoc saltem asserto evidenter verum dicimus, nec idem de eodem affirmamus, & negamus, ut patet. Et sanè sicut saepe in foro externo certum est, iudices contraria iudicantes rectè & laudabiliter iudicasse, ita nemo idem negare potest in controversiis scholasticis, nisi Sanctos Thomam & Bonaventuram in multis sibi contradicentes criminis arguat.

19. Secundò in eo erravit Celladeus, quod supposuerit, lites circa probabilia esse interminabiles; ostensum enim est, quomodo terminentur, & finaliter terminari possint. Porro sola interminabilitas absoluta, utpote excludens omnem terminationem tam privatam quam publicam, tam finalem quam non finalem, est absurda; nam interminabilitas quædam per iudicium infallibile, stante ignorantia humana, in multis est prorsus necessaria. Sic pauca lites terminari possent in foro externo, si illæ sine certitudine & infallibilitate terminari non possent. Cæterum ne homines irremediabiliter priventur bonis suis, respublica statuit aliquod iudicium finale, per quod lites terminentur. Verùm terminatio ista non oritur ex vi iudicii, ut patet, sed ex lege reipublicæ, quæ cum sit suprema Domina bonorum temporalium, supplet defectum iudicii, & illo mediante, transfert dominium in partem, cui lis adjudicatur. Jam lites de moralibus certius determinari possunt per Ecclesiam, ut patet; immo saepe terminantur etiam finaliter per novas rationes, & Doctorum consensum. Non ergo fecimus in impossibile, quando disputamus, quia ad aliquam ex terminationibus dictis tendimus. Plerumque tamen ad privatam respicimus, ita tamen ut remotè speremus, ultimam determinationem, partim nostrâ, partim alienâ industriâ perficiendam; nonnunquam etiam ad Ecclesiam recurrimus, & ab ea infallibile responsum, ac certissimam litis decisionem expectamus.

20. **O**BJICIT tertio. Utraque pars contradictionis in plurimis est probabiliter vera. Porro verum probabile est sufficiens regula morum. Ergo in ordine ad mores regulandos in omnibus probabilibus perinde est, sive Heracliti sententia teneatur, & utraque pars contradictionis dicatur absolute vera, sive benigna sententia admittatur, & existimemus utramque partem contradictionis esse licitam, quia utraque est probabiliter vera. Sumatur materia cujuscunque virtutis in specie, jam in illa utraque pars erit probabiliter vera. Sic autem est virtus, sicut veritas ejus. Ergo unaquæque virtus est probabiliter in utraque parte simul, sicut veritas ejus. Deinde hoc probabiliter esse virtutis ita sufficit ad mores hominum, sicut ipsum verum esse virtutis. Ergo in omnibus probabilibus eadem absurda quoad mores dirigendos sequuntur ex benigna sententia, quæ ex opinione Heracliti circa eandem materiam sequerentur.

Obiectio, quam Celladeus validam putat.

In materia justitiæ vana, immò nulla esset rerum divisio, si sententia Heracliti esset vera, quia unaquæque res esset & non esset mea, esset & non esset tua; esset tua & non mea, esset mea & non tua, &c. Ergo vana esset rerum divisio, quæ ideo facta est, ut hæc res esset mea, non tua; illa esset tua, & non mea, & sic pax & societas servarentur in republica, nec omnia fierent potentiorum. Idem inconveniens ex licito probabilium usu sequi videtur. Nam eadem res est probabiliter mea & tua, & sic probabiliter mea & non mea, tua & non tua; unde si tu es potentior in foro, erit tua, si probabilia etiam in foro valeant. Rursus si pecuniam Regis administres, quæ probabiliter sit tua & illius, erit de facto tua, quia quoad hoc es potentior. Omnis deinde possidens, cæteris paribus, est potentior. Frequenter autem accedit rem esse suam & non suam probabiliter. Jam re & de facto erit sua, & hæc quidem jure ac juxta rationem sequuntur, si usus probabilium sit licitus; quia utrobique est probabiliter justitia, quæ per te tanti est, ac ipsa vera justitia. Ita Celladeus lib. 1. quaest. 16. §. 2.

Retorquetur obiectio.

Respondeo primò. Argumentum à Celladeo solvendum esse in casu conscientie invincibiliter errantis, sive sic errans universaliter arbitretur, utramque partem contradictionis in probabilibus esse licitam, sive in casu particulari existimet, quòd tam liceat pingere, quam non pingere in die festo, dato quod pingere verè sit opus servile. In casu enim isto homo non peccat, faciendo quod ipsi falsò proponitur ut licitum. Similiter non peccat illud omittendo, quia omissio illius verè est & apparet licita. Ergo si pro istis casibus, qui frequentes sunt, non sit absurdum, eadem quoad licitè operandum in tali materia sequi ex communi ac vera opinione, quæ quoad illud ipsum sequerentur ex opinione Heracliti, si illa esset vera, neque erit absurdum, eadem in universa practicè probabilium materia sequi ex utraque sententia, quia in omni iudicio falso practicè probabilis error invincibilis involvitur.

Multiplex nullitas argumenti.

21. Respondeo secundò. Argumentum hoc peccare & ratione formæ & ratione materiæ. Peccat ratione formæ, quia dato toto antecedenti, scilicet quòd tam ex benigna opinione, quam ex sententia Heracliti admittitur, æquè interatur, utramque partem contradictionis in probabilibus esse licitam, non inde sequitur, benignam sententiam

Prima peccat ratione formæ.

tentiam esse falsam. Ratio est, quia non sequitur consequens illud, prout ex opinione Heracliti inferitur, aut falsum esse aut absurdum. Non enim omne quod ex falso sequitur est falsum, ut non solum in Geometria ac Arithmetica, sed etiam ex primis Logicæ principii notorium est; cum omnes norint, quod sæpe ex falso ac absurdo legitima veritas rectè inferatur. Ego nisi illarum aliunde probetur esse absurdum, non sequitur quod sit tale, eò quòd legitime deducatur ex falso. Atqui nondum probatum est, quod illatum illud sit absurdum. Ergo argumentum peccat ratione formæ, quia ponitur ut ex hoc præcisè probet, præsumsum usum probabilium esse illicitum, quia si opinio Heracliti esset vera, sequeretur eorundem usum esse licitum.

Secunda peccat ratione materiæ.

22. Peccat etiam ratione materiæ, quia antecedens argumenti est falsum; admissa enim opinione Heracliti, nil prorsus sequeretur, siquidem tam verum esset illud ipsum non sequi, quam sequi. Universaliter enim quicquid poneretur per veritatem unius partis, illud idem tolleretur per veritatem alterius partis contradictionis. Ergo ita omnia sequerentur, ut nihil prorsus sequeretur. Sed pressius ad rem nostram: ex opinione Heracliti non magis sequeretur, utramque partem contradictionis esse licitam, quam illicitam; quia si verum esset, utramque esse licitam, verum pariter esset contradictoriè oppositum, scilicet vel unam vel alteram non esse licitam, & quia non esset potior ratio de una quam de altera, neutra esset licita. Præterea si aliquid simul esset & non esset licitum, utriusque qui illud poneret, simul peccaret & non peccaret, immo si consequenter loquamur, poneret illud, & illud non poneret, non est enim cur una potius quam omnia contradictoria sint simul vera. Immo omnia contradictoria essent vera, & non vera, sed falsa. Peccat ergo argumentum etiam ratione materiæ, cum antecedens non sit magis verum quam falsum, & quod plus est, sit prorsus incongruum ut quidquam ex illo deducatur magis quam oppositum.

Demum illatio est falsa.

23. Demum falsa est illa illatio, quòd in ordine ad mores in probabilibus regulandos, perinde sit dicere, quod utraque contradictionis pars sit vera, ac dicere quod utraque sit probabiliter licita; quòdque proinde eadem prorsus absurda sequantur quoad mores ex benigna sententia, quæ sequerentur si opinio Heracliti esset vera. Falsa, inquam, est illa illatio, quia in sententia Heracliti sequitur, seu potius supponitur, actionem honestam non esse honestam, & peccatum non esse peccatum, sed idem & esse peccatum & actum bonum, omniaque esse & non esse peccata, esse & non esse virtutes, &c. quo nil absurdus pro regulandis moribus fingi potest. At ex benigna sententia solum sequitur, hominem licitè operari quamcumque partem contradictionis amplectatur in praxi, modò ex probabilitate de honestate operis consurgat ad conscientiam ita formandam, sicut præscribimus illam formari debere. At hoc verum est, nec Celladeus vel per umbram ostendere potest, quòd ex hoc altera contradictionis pars sequatur, nempe quòd homo in eo peccet peccato formali, seu imputabili ratione sui.

Aliquando utraq; pars contradictionis est certò licita, quoad unum, aliquando oppositum est certum.

24. Sed ut Celladeus clarior videat nullitatem sui argumenti, respondeo tertio, utramque partem contradictionis quoad usum sæpe esse licitam, sæpe non esse licitam. Utraque pars est licita, quando propositio affirmans rei honestatem est certò vera, & propositio negans ejusdem honestatem est certò falsa.

Sic licet loqui & non loqui, nubere & non nubere, quia propositio affirmans eorum honestatem est certò vera, & propositio illam negans est certò falsa. Similiter utraque pars est etiam licita, quando propositio affirmans rei honestatem invincibiliter creditur vera, & opposita invincibiliter habetur falsa, nec de hoc est dubium. E contra verò, quoties propositio affirmans rei honestatem est certò falsa, aut per ultimum iudicium absolute reputatur falsa, aut homo de ejus falsitate dubitat, toties utraque pars contradictionis non est licita in praxi, sed peccat quicumque rem illam ponit. Jam autem quaeritur, an utraque pars contradictionis sit licita, quando utraque pars est directè probabilis. Nos affirmamus, & illud variis argumentis reflexis planè evincimus, sed ineptè prorsus argueremus, si ex eo id probaremus, quod utraque pars contradictionis liceat, cum certò constet, quod utraque pars aliquando liceat, aliquando non liceat. E contra, Celladeus negat utramque in illo casu esse licitam, sed alio medio non utitur, quam quòd absurdum sit, utramque partem contradictionis esse licitam, cum tamen certum sit, quòd sæpe utraque sit licita. Quid hoc aliud est, quam uti medio evidenter indifferenti ad utramque partem contradictionis, ut ex illo determinatè probes, unam partem contradictionis repugnare cum tali medio? Cogitet hæc Celladeus, & videbit argumentum hoc suum non plus valere, quam valeret, si contenderet, Titium esse Sanctum & in gratia Dei, quia est Christianus; aut esse ingeniosum & doctum, quia scholam frequentat.

25. Verum, quia Celladeus cupit doctrinam exemplificari in aliqua virtute speciali, juvat exemplum adducere, ut sic veritas benignæ sententiæ, irritusque Celladei conatus clarior innotescat. Sumamus ergo materiam temperantiæ, in qua quaeritur quænam sit quantitas refectivæ vespertinæ, quam absque peccato & jejunii violatione sumere liceat. Auctores variant. Multi quartam, multi quintam partem cœnæ ordinariæ assignant; & alii magis arctant; omnes probabiliter, si totum singulorum assertum inspicitur. Nam licet illi, qui minimam mensuram assignant, non probabiliter, sed certò asserunt talem quantitatem esse licitam; tamen non nisi probabiliter loquuntur, quando ex vi rationum directè probantium dicunt, majorem quantitatem esse illicitam. Jam asserta ab istis sunt materia, circa quam temperantia versatur. Asserta, inquam, non assertiones, quia temperantia moderatur cibum & potum, non dirigit opiniones de cibo & potu, eorumque quantitate ac qualitate, ut patet. Hoc posito; quamvis utraque opinio, adæquatè sumpta, sit solum probabilis, virtus tamen temperantiæ non probabiliter, sed certò exercetur in praxi opinionis strictioris ac tutioris, ut patet. Atque in hujusmodi casibus verum est, quod dicit Celladeus, virtutem esse probabiliter in utraque parte simul, quia cum certum sit, quod minima quantitas assignata liceat, & probabile sit, quod major etiam sit licita, utriusque probabile est, quod in tota collectione praxium contentarum in præscripto utriusque sententiæ veritas reperitur, & temperantia verè exerceatur. Verum si universaliter loquamur, ut loqui videtur Celladeus, sæpe falsum est, quod virtus ipsa probabiliter sit in utraque parte simul; quia sæpe evidens est, veritatem ipsam virtutis non posse esse in utraque parte simul. Sic qui bona fide possidet rem alienam

Aliquando probabile est, veram virtutem reperiri in utraque ex sententiis contradictoriis.

Sed hoc semper non est verum.

nam

nam tenetur eam reddere Domino illam petenti, quando constat rem illam non esse suam. Jam si duo ita praeferant Dominium, ut uterque probabiliter ostendat, rem ad se pertinere. Probabile erit possessorem elicere actum veram justitiam, si neget rem Paulo, quia probabile est, quod Paulus non sit Dominus illius. Idem valet de Petro, si illi res negetur. At si res illa simul negetur utrique illam petenti, eod quod de illa semel restituta fortes mittere velint, non est probabile, quod justè possit illam utrique negare, seu quod justitia exerceatur in utraque parte simul, quamvis probabile sit, quod in singulis exerceatur; & ratio est, quia est evidens injustitiam committi, si res utrique denegetur, quia evidens est, verum Dominum per illud privandum re sua contra suam voluntatem. Itaque licet probabile sit virtutem exerceri in duabus materiis disjunctivè sumptis, non tamen ideo probabile est, quod exerceatur in utraque simul sumpta, quod certè notandum fuit, ne Lectores ex universalì Celladei locutione deciperentur.

Assignatur regula hoc dignoscenda.

26. Ceterum ut clariùs constet, quando sit, & quando non sit probabile, virtutem ipsam, non solum formaliter sed etiam materialiter sumptam, verè reperiri in omnibus partibus materiae suae simul sumptis, haec sit regula. Quoties duo contradictoria ita respiciunt virtutem, ut una pars determinata sit indubitata ejus materia, & altera probabiliter ad eam pertineat, toties probabile est, virtutem ipsam in utriusque exercitio reperiri. Sic probabile est pictorem debito cultu servare duo festa, licet in uno pingat, in alio non pingat; quia quod utraque pars per modum unius consideretur, non magis infert quod operans in alterutro erraverit, quam si solum partem minus tutam posuisset. At quando duae res ita respiciunt virtutem, ut utraque, disjunctivè sumpta, probabiliter quidem, neutra verò certè ad eam pertineat, simulque certum est, quod altera pars ab ea materialiter deficiat, tunc probabile non est, quod virtus ipsa per se in utraque parte simul inveniat, quia evidens est, quod utraque pars non possit simul esse vera.

Exemplum Celladei aetad rem.

27. Et sanè, quod Celladeus ex materia justitiae affert, non est ad rem; quia confundit probabilitatem speculativam de jure, cum probabilitate practica de licito; quamvis enim aliquis administrat res ab alio possessas, quae ad jus singulorum probabiliter pertinent, non tamen est probabile, quod administrator privata auctoritate licitè retinere possit res, quas bonae fidei possessor illi administrandas dedit. Similiter ex benigna sententia non sequitur, in incertis ac probabilibus potentiores in judicio externo praevaleant, quia illud aequè favet omnibus. Judicesque ad probabiliora praeferenda obligat, ut dictum est. Verum quidem est, possessorem legitimum, ceteris paribus, in rerum possessarum usu omnibus aliis praeferrì, quia res bonà fide possessa aliter spectant ad possessorem, quam ad alios, qui aequè probabili jure rem illam sibi vendicant. Neque de his est ullum dubium. Miror proinde, Celladeum talia exempla ad rem non facientia attulisse.

Responsio.

28. Dices, nonne absurdum est, utrumque contradictorium esse secundum ipsam virtutem? At hoc aequè sequitur ex licito probabilium usu, sicut ex opinione Heracliti. Quod si utraque pars contradictionis sit secundum virtutem; utraque erit juxta rationem. Ergo utraque habebit veritatem, quae sola est rectitudo rationis, quia ratio falsa non rectè se habet. Et Philosophus 4. Metaph.

falsò opinantes aegrotantibus comparat. Ita Celladeus loco citato.

Respondeo, utramque partem contradictionis & materialiter & formaliter esse saepe secundum virtutem, quod adeo evidens est in exemplis alatis, maxime quando pars minus tuta est vera, ut mirum sit Theologum potuisse de hoc dubitare, aut ad Heraclitum confingere, ut sequelam hanc, tamquam absurdum immane, non nisi ex falsissima illius opinione, aut alia illi aequiparanda ortum, proponeret. Haec tamen fecit Celladeus, & ita quidem, ut in hoc non aliter gloriatur, quam si clarum triumphum reportasset. Jam verò, si in casibus ejusmodi opinio minus tuta sit falsa, tunc utraque pars contradictionis erit secundum virtutem, sed pars tutior per se, pars minus tuta per accidens.

Saepe utraque pars contradictionis etiam materialiter est secundum virtutem.

29. Jam utraque pars Contradictionis obiectivè eodem modo est juxta rectam rationem, quo est juxta virtutem, quia virtus in recta ratione fundatur. Immo quod plus est, utraque aliquando est juxta rationem veram; non quod contradictoriae propositiones de eodem obiecto sint verae, sed quod obiecta contradictoria, ut pingere & non pingere, saepe proponantur tamquam materia ejusdem virtutis per cognitiones veras, quia utraque cognitio secundum veritatem affirmat suum obiectum esse licitum. Quod si judicium, probabiliter affirmans partem minus tutam esse licitam, sit falsum, tunc utraque pars contradictionis ad eandem virtutem & ad rectam rationem pertinebit, sed una per se, altera solum per accidens. Porro Celladeus in paucis lineis suae objectionis ab obiectis contradictoriis, seu à materia virtutis, de qua sola nunc agitur, saltat ad actus contradictorie oppositos, & dicit utrumque non posse esse secundum rectam rationem, quia sic uterque esset verus, quia sola veritas est rectitudo rationis. Verum saltus ille praesentis disputationi incongruus est, ut patet; neque tamen in materia, ad quam saltat, rectè discurret; quia certum est, duos homines elicientes duo judicia contradictoria saepe formare judicia juxta rectam rationem (sumendo rectam rationem non logicè sed ethicè prout ab Aristotele, & aliis omnibus sumitur in rebus moralibus) quia & qui verum dicit, rectum judicium format, & qui falsum dicit, rectam format rationem, si ex magno ac prudenti motivo invincibiliter erret; absque dubio enim ea ratio recta est, quae licitam & honestam operationem regulat, tale est illud judicium falsum. Ergo illud est recta ratio, & secundum rectam rationem elicitur. Non ergo sola veritas est rectitudo rationis, si recta ratio sumatur ethicè pro ratione regulante actum honestum, quamvis sola veritas dici possit rectitudo rationis logicè sumptae, quia in hac consideratione actus non aliunde denominatur rectus, quam à conformitate cum suo obiecto; in illa verò denominatur rectus ob honestatem, seu rectitudinem volitionis, quam regulat, aut ab appetitu recto, à quo imperatur. Itaque saepe ratio logicè falsa, ethicè loquendo, rectè se habet; non tamen rectissime; quia veritas, etiam ethicè loquendo, praestat errori. Demum Aristoteles in Metaphisicis logicam tantum judicii rectitudinem considerat, quia omnis alia consideratio ad finem Metaphysicæ est impertinens; atque ideo falsò opinantes aegrotantibus meritò comparat; quia sicut aegrotantes à debita corporis temperie, sic illi à proprio fine intellectus declinant. At Philosophus in Ethicis rationem considerat in ordine ad

Utrique pars contradictionis obiectivè saepe est secundum rectam rationem.

Celladeus saltat ab obiectis contradictoriis ad propositiones contradictorias.

Aristoteles incongruè obicitur.

suam

finem voluntatis; sic autem omnem rationem, benè regulantem voluntatem, vocat rationem rectam, non veram; rectam quidem, quia rectam operationem dirigit; non veram, quia aliqua ejusmodi ratio à logica rectitudine seu à veritate deficiat.

Objectionultima.

30. Objeit demum, Heraclitus in sua opinione haberet, unde in humana consuetudine omnibus placere posset, & nulli. Omnibus quidem, quia utrique dissidentium satisfacere posset, dicendo, tu verum dicis; nulli verò placere posset, quia non minus condemnaret, quàm approbaret rationes eorum, ideoque ingens confusio ex illius opinione sequeretur. Idem inconveniens sequeretur, si usus probabilium liceret; possemus enim omnibus partibus inter se contrariantibus favorabiliter respondere. Nam ex mea opinione tecum per omnia consentio, atque per omnia placeo; mox ex aliena opinione probabili, per omnia tuo adversario jus tribuo, & te condemno. Quod si hoc rescitur, haud dubiè neutri parti placebimus. Ergo absurda opinionis Heracliti communia sunt benignæ sententiæ. Ita Celladeus §. 2.

Auctores benignæ sententiæ non possunt omnibus placiâ dicere.

Respondeo, sententiam Heracliti nemini peculiariter favere aut nocere, quia, eâ admisâ, & omnia singulis forent prospera, & nihil prorsus illis faveret. Unde illa sententia pro consuetudine humana, & vitæ socialis institutione est prorsus inepta, ut patet. Porro nil ejusmodi sequitur ex benigna sententiâ, nam qui illam sectantur, nec respondent, nec possunt licitè respondere, sicut Celladeus jactat. Si enim possessor, cui probabilitas juris favet, petat, an liceat rem probabiliter suam, sed probabiliter etiam alienam, retinere? Auctor benignæ sententiæ respondebit, quod id ita ipsi liceat, ut interim diligentiam ad veritatem inveniendam adhibere teneatur; quod si post debitam diligentiam jus maneat utrimque probabile, poterit rem sibi tutâ conscientia retinere, &c. Et hoc quidem responsum huic parti favet; verum ille, si totam suam sententiam dicat, videbitur favorem minuere, dicit enim, adversarium ipsius licitè posse illam in jus vocare, modò tale jus illi favoreat, quale communiter censetur sufficiens, ut quis possessori bonæ fidei litem intenet. Ex hac autem lite fieri poterit, ut & rem & jus ad illam per sententiam judicis perdat. Hoc est, quod

huic parti respondere potest & debet, in quo nec totaliter illi favet, nec totaliter illi contradicit, sed quod iustum & rationabile est, illi proponit. Jam vero si pars adversa accedat, dicet tibi quidem videri jus ad alterum pertinere (supponitur enim jam quod ita sentiat) nihilominus probabile esse, quod jus ad ipsum pertineat, & non ad alterum. Proinde alterum, privata auctoritate, rei possessione privari non posse, nec aliter licitum esse rem illam sibi acquirere, quàm vel conventionis mutua cum possessore, vel certè lite intentata. Ecce Auctor benignæ sententiæ hoc responso secundùm quid placet, & secundùm quid displicet utrique parti; nil autem eorum, quæ uni dicit, destruit ea, quæ alteri dixerat, &c. sed nec restrictio, quam ponit, destruit partem, cui apponitur, sed solum eam limitat. At in his nil absurdi, nil non rationabile invenitur; & tamen nullus est casus, qui magis favet argumento, quàm quando respondens mediat inter duos litigantes, & respondet illis juxta utriusque jura prætensa.

31. Quod si ad alios casus respiciamus, nil ejusmodi invenietur, si enim quis interroget, an, omnibus inspectis, pro refectione vel peritina comedere possit quartam partem cænz ordinariæ, & ego existimem ex rationibus directis id non licere; non ideo simpliciter respondere possum, non licet; sed debeo dicere, licet; quia cum illa sententia sit probabilis, ego, qui benignæ sententiæ subscribo, omnibus consideratis, ex vi rationum reflexarum existimo, talem quantitatem esse licitam, etsi ex rationibus directis contrarium sentiam. Unde si ille petat meam ultimam sententiam ac resolutionem, non possum nisi uno modo respondere, quia mea ultima sententia est una, & in omni quaestione uni tantùm parti favet. Quod cum sit evidentissimum, evidens pariter est, nos non posse pro arbitratu respondere de quaestione proposita, sed unam tantùm partem ultimè affirmare. Unde evidens pariter est, nil quoad hoc commune esse opinioni Heracliti, ac benignæ sententiæ, quia illa utrumque contrarium dicit, & quidquid uni parti concedit, id ipsum illi simul negat. Talia haud facimus nos; & qui ita faceret, illicite & stultè, ac contra præceptum benignæ sententiæ faceret.

Immo ab-
solutè non
possunt nisi
unum idè-
que respon-
dere omni-
bus.



QUÆ-